

**GYMNASIO REGIO**

QUOD

**W E T Z L A R I A E F L O R E T**  
**QUINQUE LUSTRIS PERACTIS**

**A. D. III. NON. NOVEMBRES ANNI P. CHR. N.**

**M D C C C X X X I I**

**INSTAURATIONIS MEMORIAM RECOLENTI**  
**COLLEGARUM NOMINE**

**PIA VOTA OBTULIT**

**SAM. CHRIST. SCHIRLITZIUS**

**PHILOS. DOCTOR ARTT. LIBERALL. MAGISTER PROFESSOR REG.**

**Artium quisquis studio bonarum**

**Ducitur, Musas et amare doctus**

**Non timet castis meritis honores**

**Ferre Camoenis,**

**Adsit auscultans faveatque nostro**

**Barbitō, laudes celebrare iusso,**

**Artium, festa haec quibus orta lux est,**

**Laugoniarum.**

**Ecce! Tithoni croceum cubile**

**Liquit Aurora, et rutilans olympo**

**Flammiger Titan nova fert Palaestrae**

**Lumina ovanti;**

**Quinque confectis hilarata lustris**

**Hoc die Mater iuvenes virosque,**

**Quos alit nunc, quos aluit benigne,**

**Convocat omnes.**

Sacra qui doctae coluit Minervae,  
 Cuique divini placuere Homeri  
 Carmina, aut clari Ciceronis artes  
 Eloquiumque —

Eia! Vos, ducti pietate, ferte  
 Debitam laudem meritumque Matri  
 Munus, et concepta animo lubenti  
 Dicite vota:

Oh Deus! solem reliquasque stellas  
 Et mare ac terras moderans, precamur,  
 Conferas almae placide Parenti  
 Saecla multa;

Urbis ut Ludus veluti columna  
 Firma stet, sospes facilisque iusti  
 Vita sit Regis, patriaeque fines  
 Inviolati;

Fac, ut in cara Tibi sint Palaestra  
 Semper et Virtus, Probitas Fidesque  
 Cognitae, semper Labor atque Cura  
 Omnia vincens;

Quamque vix natam vehemens procella  
 Pressit — at pressam Tua tunc voluntas  
 Juvit — hanc serves foveasque adultam  
 Tempus in omne.

